



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput IV. Canonicae simoniacorum exponuntur poenae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Extra controversiam est, quodsi pater vel alius
 capellam instituat cum expressa intentione Bene-
 ficium aliud obtinendi, hunc simoniam saltem
 mentalem committere. *Primo* sic ambitionis
 vel avaritiæ opus agunt, peccantque contra ec-
 clesiasticam vocationem, quæ omnino necessaria
 est, & quam ipsi sibi creant hac fundatione.
Secundo magnam Ecclesiæ injuriam inferunt,
 qui absque vocatione illi tradunt ministrum,
 quem illa non elegit; & plerumque ineptum.
 Non me later, Doctores quosdam docere, hunc
 Beneficium acquirendi modum esse licitum; quod
 Capellæ fundator novo fundo Ecclesiam dicit.
 Verum horum sophismata vanæque ratiocinatio-
 nes nequeunt hoc validum reddere, quod robore
 caret, priscisque sæculis fuit inauditum. Si
 vere ex devotione Capellam quis fundavit, eam
 que aliquamdiu possedit, quin illam cum Bene-
 ficio permutare intenderet, non eum damnare,
 si postea eam cum Beneficio permutaret, sed
 pura ab initio, & ab omni negotiatione remota
 intentio fuerit oportet, ut scrupulum omnem
 excludat.

CAPUT IV.

*Canonice Simoniacorum exponuntur
 pœnæ.*

Omnem licet Simoniacam pravitatem Ecclesia
 detestetur; contra tres tamen præcipuas
 ejusdem species canonicis pœnis animadvertit,
 eoquod eas præ cæteris sicut frequentiores, ita
 & periculosiores agnoscat. Sunt autem illæ
 simoniacæ

Simoniæ, quæ 1. circa Beneficia, 2. circa sacram ordinationem, 3. circa Religionis ingressum committi solent.

Pœnæ in Simoniacos circa *Beneficia* (ad quæ etiam aliæ dignitates Abbatum, Priorum &c. reducuntur) sunt 1. Excommunicatio Papæ reservata, qua non solum simoniaci paciscentes, sed etiam cooperantes innodantur, sicuti habentur in Extravaganti *cum detestabile* (a). 2. Tituli, seu provisionis nullitas, ob quam nec Beneficium retineri, nec fructus percipi possunt. 3. Inhabilitas simoniace provisi ad idem Beneficium denuo acquirendum, quam nec Episcopus sua tollere dispensatione potest, uti capit. *Nobis. de Simonia* Cælestinus III. declaravit. Si tamen Beneficium simplex sit, ipsoque proviso ignorante simonia intervenerit, simplici facta resignatione, Episcopi dispensatio ad primum Beneficium januam aperit juxta cap. *Sz alicujus. de Electione* &c. 4. Inhabilitas ad alia Beneficia juxta Bullam Sixti V. quæ incipit *Sanctum*. 5. Privatio Beneficiorum antea obtentorum post sententiam saltem declaratoriam iudicis, quemadmodum ex Bullis Pii IV., & Pii V. colligitur (b). 6. Beneficiorum per-

confi-

(a) Ab hac, si ad forum contentiosum nondum deductum, sed occultum simoniæ crimen sit, Episcopi ultramontani absolvere possunt.

(b) Hæc tamen inhabilitas ad futura Beneficia, ac privatio antea possessorum a solo recipiente, non a resignante aut conferente incurritur, utut ex-

confidentiam acceptorum reservatio papalis, & proventuum aut pensionum ad cameram pontificiam devolutio juxta easdem Bullas, quæ tamen quoad ista in Gallia usu receptæ non sunt (a).

Ut istæ pœnæ incurrantur, simonia non mere mentalis, aut conventionalis, sed realis completa esse debet. Hinc si Antonius pecuniam summam pro Beneficio promisit, quam solum post quindecim ab adeptio Beneficio dies solvit, tunc primum pœnis juris subjacet, cum pensionem solvit, nec fit irregularis, etsi ante solutionem sui ordinis muneribus functus fuerit (b).

communicatio papalis ipsis maneat. Imo si recipiens statim ad se reversus & respiciens accelerata male parti Beneficii dimissione sibi prospexerit, ipse quoque ad alia saltem Beneficia habitus manet, neque præhabitis privatur. Ita Natalis Alexander & alii S. Pii V. Bullam exponunt.

(a) Hujusmodi Beneficiorum reservatio, & pensionum devolutio nec in nostra Germania tenentur. Nam Concordata, quæ Fridericus III., aliiq. Germaniæ Principes cum Eugenio IV. a. 1449. inierunt, omnes novas reservationes excludunt. Hisce autem concordatis seu pacto bilaterali subsequentes Pontifices absque Germanorum consensu derogare per suas Bullas non possunt. Sed de hoc Exim. Barthelium, Zallwein, aliosque Publicistas vide.

(b) Has ipsas pœnas illi incurrunt, qui propria auctoritate Beneficia commutant, aut pensiones constituunt; quia etiam hi jure ecclesiastico simoniacorum nomine veniunt. Hancque sententiam seu communem Antoine laudat (Tr. de simonia).

In confidentiali tamen simonia sola Beneficii datio, & acceptio sufficit; nec actualis cessio, atque pensionum solutio &c. requiritur: unde Cajus quamprimum sub fiducia pensionis &c. Beneficium Petronio resignat, dum alter Beneficium occupat, ipso facto uterque excommunicationem incurrit, utut fiduciaria conditio diu postea sit purganda, & quod plus est, etsi accipiens mala fiducia, quam in resignante adverrit, ipsemet crearet, prout clare in Bulla Pii V. habetur.

Si Claudius Petro centum aureos solvat, ut Andreae amico suo Beneficium resignet, Andreas, hujusce conventionis inscius, si postea desuper certior factus ipsam ratam habeat, in excommunicationem non incidit; in eas siquidem lata est excommunicatio, qui simoniam commiserunt, aut ad illam cooperati sunt, quorum neutrum dici de Andrea potest. Pariter si filius patri suo, aut amico reddat pecuniam, quam occulte pro Beneficio suo hi solverunt, in excommunicationem non incidit; at graviter peccaret, & Beneficium teneretur dimittere ad quod jus nullum habet, cum juxta sacros Canones simonia irritam collationem reddat, & possessor ipso facto, ante judicis sententiam Beneficio pri-

virt. Relig. cap. 5. art. 3. de Sim. post quæst. 21.).
Ab his tamen poenis immunes sunt, qui de commutatione, pensione &c. privatim tractantes ultimato nihil concludunt; sed totum ad beneficium summum Pontificis remittunt. Billuart
De Simon. Sect. 3. ad finem.

privatus existat: quod non de eo solum est intelligendum, qui simoniam commisit, sed de illo pariter, qui pro se simoniam factam esse, postea novit.

Sciens Ecclesiasticus consanguineos suos aut amicos pecuniam esse daturos, ut ipsi Beneficium comparent, se illis expresse opponit, & impedire nititur; nihilominus illud consanguineis emunt; ille vero nihil de simonia suspicatus bona fide possessionem inchoat: quæritur an de simonia certior factus Beneficium dimittere teneatur? Ad Beneficium dimittendum illum non adstringi, Doctores plerique censent, Innocentii III. Rescripto nixi, ubi Pontifex ad similem casum ita respondet: *Contra provisionem, & voluntatem tuam . . . aliquis te penitus ignorante, promisit, pecuniam, & exprobit; præsertim cum is nulla sit tibi consanguinitate conjunctus, nihil tibi debet ad penam vel culpam imputari, nisi postea consenseris, pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam. Alioquin contingeret, quod alicujus factum, in subsidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret, & sic aliquis de fraude suo commodum reportaret (cap. sicut. de Simonia).*

Si quis Beneficium simoniace collatum pacifice ac bona fide per triennium habuerit, certior factus de simonia posset illud juxta aliquos retinere, & valida esset ejus provisio, dummodo fructus hoc triennio perceptos, adhuc restitueret, sicut alii bonæ fidei possessiones ad restitutionem tenentur. Auctores graves

alii de hac Beneficiorum præscriptione alium
 silent, alii eam omnino negant; quibus & ego
 assentior: quia simonia tale est crimen, ut ubi
 se ingerit, favorem omnem excludere Jura ve-
 lint. Beneficiatum itaque a fructuum consum-
 ptorum restitutione absolverem, ut tamen Be-
 neficium simoniace sibi collatum resignet, velu-
 ti tutius, & forsan unice tutum suaderem (a).

Pœnæ simoniacorum circa ordinationem istæ
 sunt. 1. Ordinem simoniace conferens, susci-
 piens, & mediatores quidquam cooperantes
 ipso facto excommunicationem incurrunt Papæ
 reservatam (Extravag. cum detestabile) 2. Or-
 dinarius insuper ab ordinum collatione, & mû-
 neris episcopalis executione suspenditur, juxta
 Bull. Sixti V. quæ incipit *Sanctum*. 3. Ordina-
 tus

(a) Hoc ipsum tamquam tutius ac verius P. Billuart
 amplectitur allegans Regulam Cancellariæ, quæ
 Beneficium simoniace obtentum a præscriptione
 aperte excludit hisce verbis: *Voluit, & ordi-
 navit Dominus noster, ut si quis Beneficia ecclesia-
 stica, quæcumque sint, absque simoniaco ingressu
 ex apostolica, vel ordinaria collatione per trien-
 nium pacifice possederit, si se non intruserit, super
 hujusmodi Beneficiis molestari nequeat; nec non
 impetrationes de Beneficiis sic possessis factas irri-
 tas & inanes censeri decrevit.* Ubi omnis sive
 culpabilis, sive inculpabilis ingressus simoniacus
 excipitur. Eadem exceptio in Concordatis Leo-
 nis X. & Francisci I. Tit. de pacificis possessori-
 bus legitur. Hanc sententiam tenent Molineus
 Pontas, Cabassutius, Concina & alii, eique
 supremarum Curiarum praxis favet.

tus deinceps suspensus a suo ministerio manet, hancque contra suspensionem ministrans irregularitatem incurrit, dignitates omnes deperdit, nec alias, donec a Papa habilitetur, acquirere novas potest, juxta Bullam eandem.

Pœnæ simoniacorum circa *ordinis ingressum* notari istæ debent. 1. Pro admissione, aut se-
cra professione quidquam dantes, vel accipientes excommunicationi subjacent, si sint personæ singulares; si vero integrum capitulum sic suscipiat, vel aliis consentiat, suspensionem ab officio incurrit (*Extravag. Sanc. de Sim.*). 2. Simoniacæ professus ad arctius detrudi monasterium debet ut ibidem execrabilem excessum sine intermissione deploret (*cap. De Regularibus. De Simonia.*).

SECTIO VII.

DE
BENEFICIIS ET PENSIONIBUS

CAPUT I.

Beneficii notio, & divisio.

Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ auctoritate constitutum, & alicui propter officium spirituale concessum.

I. Jus